



Tomus XIII  
Mijakunegz Paloby.

*[Faint handwritten signature or initials]*

thesu  
Diffic  
Gra  
Iud  
Flo  
Pos  
ca  
Ex  
Pen  
Exe  
Ch  
Sen  
A  
Exe  
Civ  
Ca  
Ex  
Ex  
M  
Ca  
In  
Ex  
C  
Te  
Po  
Ge  
Ex



45. 46  
מִדְּוָה וְלִיהוּה עֲנִיּוֹת דַּעֲתִי:

7 3 7 2

*Sive de*

FESTIS  
ORIENTALIIUM

EXERCITATIO QUARTA,  
*in inclutâ Academiâ Leucorea,*  
publicè ad disputandum proposita


à

M. JOHANNE ERNESTO GER-  
HARDO JENENSE, Coll.  
Philos. Adjuncto,

*Respondente*

THOMA KÖPKEN SPANDOV.  
Marchico.

In Auditorio Philosophorum,  
*ad diem 27. Martii.*



WITTEBERGÆ,

è Chalcographo JOBI WILHELMI FINCELII,  
Anno M D CL.



TO THE  
 FESTIVAL  
 OF THE  
 ORIENTAL  
 EXHIBITION  
 AT THE  
 GREAT EASTERN  
 EXHIBITION  
 LONDON  
 1884  
 M. JOHANNES ERNSTO GER.  
 HANNOVER  
 1884





I. N. D. N. J.



**M**ARTIUM pronuper ingressi mensē sumus, in cuius cūm mediū mensis *Nisan* Ebraeorum (qui anni Ecclesiastici initium apud eos constituit) non solum incidat, verum etiā is ipse Mensis Princeps olim Mensium apud Romanos extiterit, ceu ex Laterculo apud *Jos. Scaligerum* in de Emend. Temp. lib. 2. p. 167. patet, imō cum eo ipso non pauci populi Orientales annum suum auspiciuntur, fuit omninō visum perquā commodum, requirente insuper hoc instituti nostri ratione, de anni initio ejusq; festivitate apud Orientales, Mohammedanos cūprimis, nonnulla colligere, eademq; publicæ eruditorum *عجوة* *جاء* submittere. Est enim veritati consentaneum maximē Arabum adagium illud: *الكمال في ثلاثة اشياء العفة في الدين والصبر عند الغوايب وحسن التدبير في المعيشة*. Institutum igitur hoc nostrum ut bonum, faustum, felix fortunatumq; esse jubeat ille, qui **CORONAT ANNUM BONITATE SUA** supplices rogamus.

Id quod verō in causis prolixioribus paullo vel aliā arduis apud earundem Patronos contingere videmus, ut in medio sæpe actu rumpere actionem, inq; diem differre alium cogantur, idem nobis in disputatoriā palæstrā evenit. Cūm enim materiæ pertractandæ prolixiores quandoq; sint, quā ut brevibus cancellis circumscribi possint, ut ubiq; brevitatē simus studiosissimi, præter voluntatem sanè accidit nostram, ut chartarum angustia intervenit, materiæ, quas singulis pertractari dissertationibus conveniebat, scindantur. Idem in præcedentibus dissertationibus factum, & nunc iterum in hac tentare cogimur. Relicta enim nobis non pauca sunt, de ritibus Judæorum, Festo hoc usitatis, quæ ipsa tamen brevitatē amore inducti breviter etiam perstringemus, unoq; potiores comprehendemus capite. Esto itaque dissertationis hujus

A 2

CAPUT



## CAPUT I.

**D**E tubæ inflatione in novi anni Festo. An tuba illa fuerit cornu arietinum, & quare tale esse debuerit? Bonfrerii error de תרועה, quod semper de Festivo ac lato adhibeatur clamore. Aquis cur sese Judæi hoc Festo immergant?

**D**E ritu ac solennitate Festi hujus recensenda pauca adhuc sunt. Sicut v. Festum hoc unū ex principalibus Judæorū festivitatis semper fuit ac etiamnum est, quemadmodū etiam integer liber in Talmudhis Babyl. part. 2. sive *Seder Moed* de Festo hoc celebrando debitisque ejus solennitatibus extat, ita etiam quamplurima referenda suppeterent. Quia v. in plerisque eadem, quæ aliis in die Sabbatho ceremoniæ observari hic solent, de quibus prolixè *Cl. Buxi.* in *Synag. Jud. c. 10. 11. & 19.* duo saltim hic annotabimus memorabilia & Festo huic peculiarια quasi. Alterum est de *inflatione seu clangore tubæ*, alterum de *lotione*. Adduximus superiùs mandatum divinum, quod Festum hocce esse debeat זכרון תרועה *memoria vociferationis*. Cùm v. vox תרועה ambigua sit, quemadmodum & Chald. יכבא (quo *Jonathan* & *Onkelos* hic utuntur) ac non modò *tubæ clangorem*, sed *vociferationem* quoque ac *jubilationem*, quæ ore solùm fieri potest, notet, inde notandum ex *Psalm. LXXXI. v. 3. & 4.* est, תרועה omninò etiam hic *tubam* vel simile instrumentum significare, atque adeò illius clangorem debuisse olim Festi insigne esse eodemq; populò indicì. Loquitur enim locus iste, prout Judæi communiter, & cum his *Bonfrer.* in *c. 23, 24. Levit. p. 696.* exponunt, vid. *Lipm. Nitzachon* in illum locum, de hoc Festo seu ראש השנה Certè idem modò adductus *R. Lipman* in *Nitzachon* ad h. l. accommodat huc locum *Num. 10, 9.* ubi tympanorum ac tubarū fit mentio. Verùm enim verò si ob hoc mandatum, seu *Lipmannus* censet, in Festo *Rosch Haschshana* tubam inflare Judæi debuerunt & etiamnum id facere tenentur, sicuti quoque cornua inflant in Synagogis, quærere placet, quare non idem in aliis etiam festivitatis agant, cùm *Num. 10, 9.* pluralis adhibeatur: & in die letitia vestra זכרונותיכם & in solennitatibus seu Festis ordinariis vestris, & in capitibus mensum vestrorum, & elangetis in tubis super holocaustis vestris. Causam tamen Judæi



daï cōmuniter, prout suprà audivimus ac insuper Buxt. etiam  
 in Synag. c. 19. testatur, adducunt aliã, quia scil. aries in locum  
 Isaaci tūm temporis ab Abrahamo mactatus est, inq; sacrificiū  
 Deo oblatus. Et hac propter etiam *cornu arietinum* Judæi ho-  
 dieño tempore Festo hoc novi anni inflant. Historicam cultus  
 tum divini hoc festo, tum reliquarum ceremoniarum rela-  
 tionem contexere jam prohibemur. Eleganter tamen eandem  
 ac concisè legere licet ap. *Bonfrer.* ad c. 23, 24. Levitici, ubi pro-  
 lixè disputat, tubas istas fuisse *cornua arietina*: ipse certè *Maimo-  
 nides* in libro *הקדמה* f. compendio Talmudhico, fat tamen  
 prolixo eò, quippe tribus tomis in fol. constans, lib. *Hasfema-  
 nim* cap. 7. prolixè monet, quod jubilæum illud fieri debeat  
*הכבשום הכפר*, ac nullum esse Scripturæ locum, ubi  
*שופר* non possit pro ejusmodi cornu capi. LXX. h. l. & Num.  
 29, 1. utuntur voce *σαλπιγγων*. *Lutherus* similiter de cornu, sine  
 dubio arietino, loco priori intelligit. *Arabs* adhibet dictionem  
*تولوب* loco utroque. Quando v. B. *Lutherus* posteriori loco  
 diem hunc *den Trompeten tag* vocat, ibi certè vocem  
**Trompete** non ita accipit, prout hodie accipi solet, cum tu-  
 bæ ex ære sive argento factæ isto hodie ferè solum veniant no-  
 mine. Caterum vocè *σαλπιγγ*, quã B. *Lutherus* in libro Apo-  
 calypseos *Posaune* reddit, *Gally* cōmuniter per **Trompette**  
 vertit. In eò verò fallitur ac fallit eruditissimus Cōmentator  
*Bonfrerius*, quando l. c. scribit: *nunquam reperias vocem תרועה*  
*nisi pro festiva vociferatione & sono in Scriptura positam*. Contra-  
 rium patet ex Jer. X, 16. *audiat clamorem in mane ותרועה* &  
*vociferationē tristem* (*Valgatus cum Hieronymo ululatum*, LXXII.  
*αλαλαγος* h. e. fletum, sicuti etiam *Lutherus* rectè vertit  
*ein heulen*) *in meridie*. Videatur *Corn. a Lapide* in istū locum.  
 Alterum de Sabbarho seu festo hocce *Rasch Haschschana* dicto  
 notandum, de *immersione in aquam* est. Meminit hujus rei ipse  
 etiam *Buxt.* Synag. p. 397. quòd scil. die hoc post sumtū cibum  
 Vir, uxor, liberi, juvenes senesq; ad undam properent, quasi  
 peccata sua lymphâ purgaturi, sive etiam eadem in aquam ab-  
 jecturi. Neque tamen mirandum tantopere est, quare Judæi  
 peccata sua aquis istis ablui posse sibi persuasum habent. Cum  
 enim quodcūque dictum Biblicum ad ritus suos nescio quã



superfitione à majoribus Introductos palliandos adducere soleant, ita sanè nec ipsis hic defunt loca Scripturæ, quibus ceremonias has insinuari vel niti etiam, gens credula arbitratur. Adducunt, ceu *Buxtorff.* meminit, in rem istam locum Mich. VII, 19. cui, miror, quare non præferant vel saltim addant Esa. I, 16. nec non Psal. 51, 9. Sanè ipse quoq; R. *Lipmannus* nec ad priorem locum annotat, ritum hunc illo confirmari. Neque etiam R. *Maimonides* tanti duxit locutionem hanc sive immersionem, ut de illa in יד רווקה (quo ex libro multa sanè quamplurimis de ceremoniis, cum primis de הרועה seu *clamore hoc*, quo de integrum penè Cap., inscriptum. ורוב הלכות שופר וסוכה ורוב pagellarum id angustia permitteret) monere fermè quiddam operæ pretium duxerit.

## CAPUT II.

**A**Nnorum variæ periodi. quomodo hoc loco annum accipimus? remouentur ab hac tractatione Mathematicæ controversiæ. Annus apud Historicos duplex, Solaris & Lunar. Mohammedanos in rebus ritus sacros concernentibus, anno uti Lunari, ostenditur. in quem annum Christi æra Mohammedanorū incidat? quomodo lunares anni à solaribus differant? Corn. à Lapide lapsus notatur. Hegira quid, & unde dicatur? dubium in Scaligero de emendat. Temp. circa scriptionem. Johannis de Laet ac Olearii sententiæ de Festo novi anni apud Persas. in Martium nostrum illud incidere, ostenditur. quamdiu duret? Cameli crucidatio apud Mohammedanos. Mohammedis sepulchrum ubi?

**D**E Festiuitate verò, quâ anni initium celebrare Orientales solent, cum agere in præsens animo porrò sedeat, nequam ita annum accipimus hoc loco intelligimusq; , quomodo Ægyptii olim annum mensurasse dicuntur, quibus primò unam Lunæ periodum, postmodum v. tres annum constituisse antiquitatis Secretariis observatum pridem est. ita enim singulis mensibus festiuitas talis celebranda fuisset: sed ita hoc loco annum volumus intellectum, prout Solis cursu vel ad minimū duodecim periodis Lunaribus descriptus veterioribus pariter ac recentioribus fuit. Remouemus v. statim ab hac palestra nostra scrupulosas istas quæstiones, quot dierū accuratè spatium Romani, Græci, Ebræi, Hagareni aliq; populi sive Luna

sive



sive Solis etiã cursum definiturint. ad Mathematicorũ relegata  
isthac talia speculationes volumus. Scopus noster est, Philolo-  
gicè ex parte, ex parte quoq; historicè materiam istam pertra-  
ctare, paucissimarumq; quantum fieri saltem potest, pagellarũ  
cancellis Orientalium Festivitates circumscribere. Neq; quic-  
quam nostra jam hic interest, quot qualesq; motus sive Sol, si-  
ve Luna, sive etiam aliud quodvis fiderum accuratè habeat,  
itemq; num veteribus cogniti isti fuerint, necne. Ostendemus  
v. Exercitatione hac, quibus ritibus & quo anni nostri tem-  
pore Mohammædani peragere novi anni festum soleant. Si  
quid, ad Mathematicam quod spectat consideratione, adduce-  
tur forsã a nobis, illud ipsum remotum ab hac cathedra vo-  
lumus, cum ex hypothesi saltem istac talia adducamus, neque  
etiam eamus inficias, maximam partem illa ipsa illustri *Scali-  
gero*, quem in hoc doctrinæ genere reliquis non immeritò or-  
bis eruditus præfert, adscribi debere. Commodũ verò cumpri-  
mis hic fuerit, initio statim ex eodem *Scaligero* observare, quòd  
*duplex annus* apud historicos occurrat, *Solaris* alter, alter *Luna-  
ris*. ille Solis circuitus est à solstitio ad solstitium, vel à puncto  
Zodiaci ad idem Zodiaci punctum. hic, Lunariscil., consti-  
tuitur per duodecim Lunæ periodos, annum enim hæ ipsæ ci-  
vilem constituunt, dierum nempe 354 cum triente & paulo  
plus, quàm duum trientum horariorum. Jam nunc Mohãme-  
danos quod concernit, pridem à CL. *Dilberro* Historiæ Turc.  
MS. c. 7. aliisq; multis edocti sumus, quòd lunares illi ipsi an-  
nos habeant, Solaribus quibus nos utimur, tanto minores, ut  
triginta duo Arabici triginta & unũ nostris propemodum re-  
spondeant. Id ipsum si observasset quoq; *Corn. à Lapide*, multæ  
aliàs lectionis Commentator, neutiquam ista sibi excidere  
verba passus esset: *Codex hic* (loquitur de MS. quodam codice  
Persico) *ex originali transcriptus est anno 790. Maurorum, quos*  
*scil. Mauri, numerant ab ortu suo scetæ Mohamedis, qua cepit*  
*Christi 1381. quo transcriptus est hic codex.* Procem. in Evang.  
p. II. in quibus *Cornelii* verbis id quoq; notamus obiter, quòd  
minus rectè numerandi originem apud Arabes s. Mauros  
Mohammædanos in annũ à Christo nato referat DXCI. cum  
tamen



tamen, ceu jam pridem observatum ab aliis est (vid. præter Christianos Chronologos quamplurimos *Juchasin* Judæorum quoq; p. 144. col. 2. cujus autor *R. Abrah. Dsachut*, ) Mohammedani atq; adeò & Persæ, teste *CL. Oleario* Itin. Orient. p. 307. annos suos à Mohammædis fugâ, qua in annum à nativitate Salvatoris nostri *DCXXII.* incidit, numerent. Quem n. latet, Epocham Mohammedanorum *Hegiram* dici. *Hegira* verò Arabibus *fugam* notat, & quidem non simplicem, sed, si fides habenda, uti omninò censemus, illustri *Scaligero* est, talem, quæ fit propter religionem. *Hoc ipso enim nomine*, ait laudatus incomparabilis litterarum princeps, *Epocha Muhamedis vocatur Heginatbi* (nescio, quare *Scaliger Heginatbi*, & non potiùs *Hegiraton*, ceu in nominativo Arab. هجره sonat, scribat vel absolute etiam *Hegira*, prout in nominibus Arabicis quandoque fieri solet in Latinam Linguam adsumtis, uti *Azoara* pro هجرة *assuraton*, à F. S. هجرة *Suraton* sectio Alcorani) h. e. διαγωγὴς ὑπὲρ τῆς θρησκείας, hoc enim significat هجره à verbo هجر h. e. ἐκδιώκεσθαι ὑπὲρ τῆς θρησκείας, quod verbum frequentissimum occurrit in Alcorano. Et Arabes ipsi scribunt hanc هجرة h. e. ἐποχὴν, esse هجرة هجره à fugâ Muhamedis ex Mecca. Hæc *Scaliger* in de Emend. Temp. p. 131. 132. Nec est, quod excipiat Jesuita *Cornelius*, numerationem hanc ab *Hegira Muhammedis* non esse constantem apud omnes Arabes Mohammedanos, si quidem ipse *Scaliger* scribat i. e. alium quoq; annum *Hagarenorum nonnullorum esse, quo & Cilices sive Caramanni & quadam alia Muhammedicæ nationes ad memoriam proavorum nostrorum usi fuerint, cujus etiam rei vestigia apud quosdam Turcas hodie quoque supersunt.* Hæc ipsa namque etiam numerandi ratio nec in annum Christi 591. incidit quoad sua primordia, id quod *Cornelius* vult. An verò & Solares hoc loco anni intelligi possint, quos quidem in rebus politicis Mohammedani omnino etiam retinent adhuc, in discursu videbimus. Sed quicquid hujus tandem rei sit, nulli nos dubitamus, quoad Festum de novi anni initio cum primis vera referre *Joh. de Laet* Persiæ Descript. c. 4. Sed quid verat, pauca ex eodem autore



auctore recensere. Persæ igitur, Mohammedanæ qui addicti  
 religioni sunt, quantum ex laudato auctore constat, novum  
 annum non eo, quo nos, auspicantur tempore, neq; etiam, quo  
 Judæi (loquimur v. de anni Judæorū Politici exordio, nō Ec-  
 clesiastici, cujus initiū omnino in Martiū nostrū incidit, atq;  
 adeo cum Persarum Novi Anni initio cōmune ferè est) sed uti  
 diximus, *mensē Martio*, idq; tanta faciunt solennitate, ut quin-  
 decim vel sedecim dies etiam summā lætitiā transigant, voca-  
 turq; Festum illud iis *Naru*. quid per *Naru* h. l. *Job. de Laet* intel-  
 ligat, obscurum forsā alicui fuerit; verūm improbable peni-  
 tus apud nos non est, per *Naru* intelligere Persas illū diem, qui  
 antiquitus iisdem *نوروز* dicebatur (imò & hodiè ceu ex *Oleario*  
*Itin. Pers.* p. 307. apparet) Innuit ex parte id *Scaliger* in de  
*Emend. Temp.* lib. 3. p. 196. quando inquit: *quemadmodum Ægy-  
 ptii annum suum Canicularem vocabant, qui ex quatuor annis  
 simplicibus & die adventitio constat: ita etiam Persæ vete-  
 res suum quadriennium NEURUZ vocabant. نوروز enim illis est  
 initium veris; quod ad verbum est, Novus dies, quasi diceret  
 venus: jas.* Hactenus *Scaliger*. Corruptè igitur forsā in *Laet*  
 exhibetur *Naru* pro *Nauruz* vel *Neuruz*. quā de re alii judicent.  
 Ceterum unde *NEURUZ* sit, *Scaliger* non docet: putamus ve-  
 rò originem omninò trahere ex Persico vocabulo, aliquoties  
 in Pentateucho Arabico *Jacobi Tavnisi* occurrente (ceu vel  
 ex duobus saltim *Geneseos* capitibus, quæ separatim *CL. Lud.  
 de Dieu* absque tamen versione edidit, patet) <sup>روز</sup> dies & <sup>نو</sup> neu  
 Corroborari ex altero hoc dictionis compositæ vocabulo il-  
 lorum sententia forsā potest, qui statuunt, in Germanicâ  
 Linguâ Persica haberi vocabula. quâ de re omninò vid. *Barth.  
 Meyerum* de LXX. hebd. *Danielis* p. 152. quid enim *نو neu*  
 Persicum discrepat à Germanorum *New*? Nec desunt etiā,  
 qui colonias traductas censeant, & ex *Strabone* aliisq; veteri-  
 bus probatum eant. sicuti decennio abhinc elegantem istâ  
 de re ab insigni Oratore *Michaele Piccarto* conscriptam Ora-  
 tionem *Aldorsfi* vidisse me, recorder. Sed si liceat ita cum vi-



ris doctis ludere, possemus sanè & alia nonnulla fingere, atq; adeò vocabulum Persicum *روشنای*, quod Gen. 1, 2. pro *רש* adhibetur, derivare, ex *روز* *dies* (ita ut litteræ *εὐμεταβ.* permutentur) & *نو* *novus*, quasi *dies novus*. Sed de hâc re alibi, ubi plus otii fuerit. Licet igitur Persæ, prout jam memoratû suprâ fuit, anni novi initium non eo celebrent mense, quo apud Judæos celebrari solet: circa idem tamen prope tempus, quo apud Judæos novi anni Festum institui consuevit, simile quid peragunt, Festumq; aliquem diem habent, cujus origo ad Judæorum traditionem, quâ de dictum aliquid dissertatione præced. fuit, referri aliquo forsan modo potest. Solet enim inquit *Joan. de Laet*, ut plurimum mense Octobri Sacerdos summus, qui agit *Mecha* (in quâ civitate communitentiâ *Mohammedis sepulchrum* haberi creditur, & sarcophagum in aëre suspensum esse: ast *fabulosum hoc esse*, scribit *Adrianus Romanus* in Theatrò Urbium, ubi agit de Arabiâ Fœlice, & Mohammedem *Medinæ* sepultum esse, ejusdemq; loculû ibid. in terris catenis vincitum, ne forsan ab aliquo rapiatur, asserit. Idem etiam *Olearius* de Mohammedis sepulchro *Medinæ* extante confirmat. Quare v. tantâ reverentiâ *Mekkam* accedant, inde forsan fit, quia Abrahami ibi templum extare credunt, & aquam, ex quâ Hagar potata fuerit, sanctam ibi adesse censent. Vid. *Adr. Roman.* in Theatr. Urbium. *Olearium* Itin. Orient. p. 323.) filium suum mittere cum Camelo ad id devoto, quem primò per urbem ducunt, ubi à vulgo ipsi pili toto corpore detrahuntur, deinde magnâ pompâ ipso Rege atque aulicis omnibus comitantibus educitur in patentiſſimum campum; atq; hîc Rex pedes Sacerdotis illius deosculatur, tum Camelus ab hoc benedicitur, aut potiùs solenni carmine devovetur; accurrit deinde prætor, transfigitq; Camelum lanceâ, cui deinceps ab altero caput amputatur acinace: quibus absolutis fex vulgi atque etiam honestiores tantâ celeritate cadaveri incumbit & particulas dissectat atque auferre conatur, ut non rarò plures vulnerentur, & pau-



& pauci aliquot aut conculcentur, aut ad mortem usque vulnerentur.

### C A P U T III.

**P**ertexitur historia de Festo novi anni apud Persas. Cujus rei causa Camelus Mekkae trucidetur? verveces paradisi candidari ex Mohammadanorum, juxta CL. Fabritium, sententiâ. Malè eosdem adferere, Ismaelem debuisse ab Abrahamo immolari, demonstratur. Annus apud Mohammed. duplex. Sacrae litterae Mohammedanis non prorsus incognita. Mohammed nonnulla Judaeorum traditionibus debet. Ismaelem quare Mohammedes Abrahamo roties jungat? Commestiones apud Persas Festo novi anni. mutuae item donationes. cum primis donaria Regi transmittuntur. Descriptione nominis Persici, quo Deum insigniunt.

**A**tque hoc ipso Festo memoriam sacrificii Abrahami celebrare sese profitentur Mohammedani, teste laudato *Johanne de Laet*. Cum quo paria, si historiam ipsam respicimus, refert CL. *Olearius* Itin. Orient. p. 323. quoad temporis v. lociq; circumstantiam discrepare à *Job. de Laet* videtur: dicit enim d. 25. mensis nostri Aprilis solennitatem hanc Mekkae peragi (an v. inde & filium in urbem Ispahan, quae regum Persiae sedes est, mittat, quod Laet insinuare videtur, *Olearius* quidem non adfirmat) Sed videntur sententiae hae nihilominus quoad temporis diversitatem conciliari forsan posse. Idem v. *Olearius* testatur, quod in aliis quoque civitatibus die memorato Sacerdotes Festum hoc, quod *Kurban* (Arab. قربان *sacrificium* notat; imò ipsum *Pascha*, vid. *Job. Fabr.* Specim. Arab. p. 6.) vocant, celebrent in memoriam Ismaelis immolandi. Ubi & hoc observat, quod cuncti patres familiâs ante solis ortum extra aedes agnum mactent, in frustra dissecent, pauperibusque distribuant in ejusdem rei memoriam. annotat & alia nonnulla. CL. *Fabr.* l.c. de hac ipsâ re, qui potest evolvi. cui addi etiam possunt, quae *Christophorus Rischerius* Cubicularius Regius & Cancellario Francia à Secretis, Tr. de moribus Turcarum, Arabum aliarumq; gentium, quae Muhammedem



dem sequuntur, habet de quib. alibi prolixè agemus. ubi scilicet de Paschatis Festo dicendi locus erit. An verò, quod CL. Fabr. prodit, adeo absurdi Mohammedani sint, ut sibi persuadeant, verveces istos seu agnos per maetationem hanc, immolationis representatricem, *Paradis gloria participes aliquando futuros, ac pro Dominis suis, qui eos in sacrificium obtulerunt, in extremi iudicii die Deum precaturos*, id sanè ut credam, haut facilè adducor. Si tamen ita ineptiunt Mohammedani, nollem profectò ego inter miserimos istos cœlestis gaudii candidatos, nomen profiteri meum, cum verendum omninò meritòq; sit, ne repulsam certò Candidati isti ferant. nec juvabit etiam ullum talis Patroni intercessio. Sed quare non in Isaaci, sed in Ismaelis locum vervex fuerit ab Abrahamo maetatus, ulterius placet inquirere. Sunt enim inter Muhammedanos nonnulli, qui dicunt, quòd Isaac debuerit prius immolari; ubi verò aufugerit, quòd Ismael tunc sese obtulerit; alii verò, ceu refert *Olearius* p. 324, asserunt, Gabrielem DEI iussu Abrahamo demandasse, ut Ismaelem immolet; non v. Isaacum. Colloquium atque alia nonnulla, quæ acciderint Abrah. & Ismaeli in via, satis ridicula, non vacat ex prædicto *Oleario* repetere. In hac ipsâ tum de Festo Novi anni, tum de immolationis memoriâ, historiâ multa nimis scrupulosa cuidam videri forsan possunt, tum quomodo, cum Mohammedani Lunarem annum observent, in Martium nostrum anni initium cadere semper possit. quin potius singulis prope lustris in alium novi anni apud Mohammedanos auspicia incidere mensum nostrum, ceu ex suprâ dictis de anno lunari colligere est. Verùm distinguendum censemus inter annum lunarem & solarem, quem utrumque Mohammedani admittunt. In ritibus quidem sacris & Ecclesiasticis lunarem, in politicis v. solarem, ceu patet ex *Scaligero* de *Emend. Temp.* lib. 3. & 4. *Olear.* *Irin. Orient.* p. 307. Postmodum id quoq; mirari subit, quare, cum è fugâ Mohammedis assectæ ipsius epocham constituent, fuga v. impostoris in d. 16. Julii incidat, anni quoque exordium die isto non constituent iidem.

Sed





Sed hęc similitur inter annum civilem distinguimus & Ecclesiasticum s. Hegira. Denique & istud dubium videri potest, quā ratione Camelum immolent in immolationis illius Abrahamiticæ s. quam Abraham peragere debuit, memoriam; cum tamen neque in sacris litteris, quæ Mohammedanos neuti- quam fugiunt profus, (ceu ex acri illā, quam de *Prædesti- natione* laudatissimi Imperatoris Romani ad portam Otto- mannicam Legatus *Augustus Busbequius* cum *Chiausso* sive ap- paritore quodam Turcico habuit, luculenter videre est, apud ipsum *Busbeq.* Epist. 4. p. 353. nec non ex disputationibus illis, quæ Perfarum doctoribus cum Romanensibus intercessere, de quibus vid. Excell. *Hacsp.* Tract. de Ufu Lect. Rabb. p. 401.) ul- lum hujus rei extet vestigium, nec è Judæorum quoq; tradi- tionibus, è quibus sanè multa aliās Impostor in Alcoranum traduxisse creditur Dn. *Hackspanio* l.c.p. 343. tale quid haustum deprehendi possit. Quòd porrò fingunt Mohammedani, Is- maelem Isaac profugā loco ad immolationem sese obtulis- se, vel ad Dei mandatum per Angelum Gabrielem Ismaelem ad holocaustum ab Abrahamo fuisse abductum, itidem funda- mento Ser. sacrae caret omni. Ponamus enim, Ismaelem unum ex duobus illis pueris fuisse, quos comites sibi Patriarcha sum- sit, quod tamen cum historiae veritate neuti- quam convenit, unde quaeso alter ex illis adeò celeriter ascendit ad Abra- hamum, cum loco remoto abs se comites illos reliquerit, Isaacum in holocaustum Deo offerre cupiens? Ita scil. mendacis plena sunt Mohammædanorum tradita, quibus tamen impos- tor non minimam pro dolor seduxit orbis partem. Neque etiam veritati Mohammedani litant, quando comminiscun- tur, Isaacum aufugisse, postquam immolare ipsum Abrahamus voluerit: quin potius tam promptè ad ligandum sese obtulit, quàm Pater forsitan ad mactandum fuit paratus. Non igitur fu- gā sibi Isaacus consuluit, sed Dei nutu in locum ejus holo- caustum substitutum aliud, aries videl. fuit. In more nimirum positum sibi habuit impostor Mohammedes, quò felicitiùs se. Arabes similesq; populos, ab Ismaelis posteritate originem



qui trahunt, in suam alliceret sententiam, plerumq; Abrahamo associare Ismaelem, cui etiam delubri Meccani restorationem juxta ac Abrahamo non obscure tribuit, in Alcorano & quidem Suratâ de *Vacca* sive 2. versu 122. & seqq. ubi inter alia Abrahamum cum Deo ita introducit colloquentem: *Dicit Deus: constituo te hominibus Antifisitem. inquitbat ille, & profapiam meam? dixit: non consequentur iniqui fœdus meum.* &c. *وان جعلنا لبيدك مثابة للناس وانما واتخذوا من مقام ابراهيم مضلي عهدنا ابراهيم واسماعيل ان طهرا وبتتبع* &c. (ita habetur in ipso Codice Arab. quem benevolè nobiscum communicavit Excell. Dn. *Sennertus*, studiorum nostrorum Fautor insignis plurimumque colendus) & cum poneremus domum illam (Mekkanum puta templum.) in refugium hominibus & securitatem. & sumserunt de loco *Abrahami Oratorium.* Præcepimus autem *Abrahamo & Ismaeli, ut mundarent domum meam pro circumgyrantibus & commorantibus & inclinantibus se atq; adorantibus.* His scilicet commentis religionis suæ fundamenta jecit hominum nequissimus Mohammedes. Sed è diverticulo revertendum tandem in viam est. Facere verò non possumus, quin & illa commemoremus, quæ egregia in rem præsentem ex *Fernando* quodam *Lopez Castagneda* refert illustris *Scaliger*, cujus verba hæc sunt: *Perse ad hanc usque diem principium veris non solum temporum civilium epocham & titulum statuunt sed etiam epulis & pompâ prosequuntur.* (Idem ex antiquâ consuetudine etiamnum *Perse* observant, quemadmodum videre licet apud *Ad. Olearium* Itin. Orient. p. 307. qui omnino circa novi anni apud *Perfas* solennia, consulatur l. c.) Sanè *Fernandus Lopez Castagneda* libro *Indicarum rerum sexto cap. 46. scribit, Lusitanorum Legatum Baltasarem Personam à præfecto Xeqe Ismaelis Regis in quodam oppido Persidis detentum, quòd Rex celebraturus esset solenne Festum, quòd Lingua Persicâ NEURUZ vocari dicit, idque significare solenne verni temporis. Baltasarem Personam detinuerat Præfectus, ut omnem apparatus solennitatis Neuruz & pompam Regiam videret.* Hec ille.

Legi-



Legimus etiam apud antiquos Scriptores, Persis matrimonia legi-  
gina non videri, nisi qua tempore verno contracta essent. Ha-  
ctenus Scaliger in de Emend. Temp. lib. 3. p. 196. Quando  
verò idem porrò commemorat, Persas annum suum solarem  
سالى سال *Sal chodai* i. e. annum Dei h. e. Solis vocare, ibi ne  
quis existimet, in scriptione Persicâ mendum typographicâ  
subesse, scribendumq; خدایي esse, quemadmodum aliâs in  
interpretatione Pentateuchi Persicâ legitur, dici forsan po-  
test, Scaligerum ex Ebrais literis seu Judæorum scriptione,  
voces istas transtulisse, quibus خ Arabum per 3 cum im-  
positâ virgulâ exprimi *Lud. de Dieu* Rudim. Ling. Persicâ  
p. 85. notat, quod ipsum 3 postmodû Scaliger per 2 reddendum  
putavit. raphatum puta, quò ipso etiam Rabbinos Ebræum  
7 exprimeret, pridem observatum *CL. Hackspanio* est  
Gramm. Rabb. MS. c. 1. §. 3. Confer omninò ejusdem  
Tract. de fide & legibus Mohamm. litt. C. Unde verò cita-  
tum سالى vel, uti in Pentateucho Persico occurrit,  
خدایي ex خدا formetur (quod enim *Lud. de Dieu* notat  
Rudim. Ling. Pers. p. 46. ي suffixum substantivo priori, in-  
dicare, posterius in Genitivo accipiendum esse, id quidem,  
h. l. non usu venit: quin potius observare ex tali exemplo  
placet, posterius quoque substantivum tale ي adsumere, at-  
que tunc per Genitivum exponi posse) itemque, unde tan-  
ta nominis (*Joh. de Laet* in Persiâ descript. cap. 5. effert  
*Kodab*, & meminit insuper, quòd & Regi suo arrogantissi-  
mum titulum hunc tribuant, vocando scilicet eum, *Kodahon*  
i. e. divinum) خدا *Choda* Persici & Germanici **GDDE**  
convenientia (quâ de & *Lipsius* aliquid monuit *Cent. 3. ad*  
*Belg. ep. 44. p. 715.*) originem trahat, & num Æthiopum  
quoque አጋዛዥ quod *DEUM* illis pariter notat, trahi  
forsan huc possit, non est loci hujus discutere prolixè.  
Quemadmodum etiam prorsus hinc removemus prolixas  
istas disquisitiones de annis vagis apud Arabes, Persas, aliosq;,  
it. de anno *Jozdegird*, & similibus, de quibus ex professo  
agit illustris *Scaliger* lib. 3. & 4. de Emend. Temp. Patet sanè  
abun-



abunde exlaudato insigni Chronologo, Persas in rebus politicis vago uti anno, in iis v. quæ ad eorum religionem, ritus & cultum pertinent, lunaribus mensibus Hegira. Confer. omnino *Olearius* Itin. Pers. p. 307. Quomodo verò octo excellentissimi inter Persas Mathematici ad Imperatoris Corasan edictum post inquisitionem diligentem caput anni in æquinoctio h. e. die 14. Adar Rumi seu Martii constituerint, prolixè ostendit idem auctor l. c. p. 285. In summam si de Persis hæctenus tradita contrahantur, patet, quòd 1. *Festum novi anni* æquinoctio verno seu die 14, (CL. tamen *Olearius* l. c. die 10 nostri Martii hoc fieri asserit, idq; probat, quoniam eo die Mathematicus quidam Persa ipsum momentum, quo sol æquatorem attingit, observavit, & tunc novum annum denunciavit) mensis nostri Martii celebrent. 2. non unum, sed aliquot dies celebritati huic impendant. 3. matrimonia fermè solùm illa, quæ tempore eo contracta, rata habeant ac legitima. 4. Festum hoc non in memoriam immolati Isaaci, vel ut ipsi volunt Ismaelis, sed propter aliam quandam causam instituant. cum alio mense, videl. Aprili vel Octobr. aut alio quoque diem aliquem in immolationis illius recordationem festum habeant. Atque in ritibus hisce cum Persis Turcas aliosque Mohammedanos convenire, non penitus improbabile est. Veritati etiam consentaneum est, Persas atque Turcas sub novi anni auspiciam dona invicem mittere. Sanè de Indis, qui annum lunarem Arabum sequuntur, Mohammedanamque religionem & ipsi maximam partem sequuntur, teste Nob. à *Mandslo* epist. Olear. Itin. Pers. ad pof. p. 8., *Scaliger* ex epistola quadam, quam *Aloisius Froes* Jesuita anno 1565. ex insula Japan scripserit, recenset, quòd vetus gentis mos sit, ut anno in eunte, ab die nono Lunæ adusque vicefimam, Regni proceres & Bonziorum principes ad Regem quisq; suum salutandum non sine donis accedat. Imò de ipsorum quoque Persarum consuetudine omnino vide *Olearium* Itin. Orient.



## CAPUT IV.

**A**Ntiocheni Syri quem annum à Paschate auspicentur? Quem textum biblicum festo novi anni legere iidem soleant. Adducuntur in rem hanc nonnulla ex Codice M.S. Syro Acad. Altdorffina. In Cod. Syr. M.S. alia Evangeliorum divisio, quàm in textu Græco. Scriptio Syriaca in laudato Codice. Quare hunc textum legendum instituerint Syri? An Æthiopes cum Syris conveniant, & cum utrisque Romani in ritibus Ecclesiasticis? Æthiopes, hodierni in clausula Evang. Matth. fidei propagationem videntur acceptam referre Syris. Quo tempore Æthiopes annum incipient?

**E**X quo præter expectationem temporis aliquid chartæq; relictum fuit continuandi materiam hanc de Festo novi anni apud Orientales, facere sanè non potuimus, quin de Syris itemque Æthiopicis paucissima materiæ huic inservientia subjungeremus. Etsi verò Syri Antiocheni, quod Dissertationis secundæ Cap. I. innuimus quoque, annum suum à Paschate auspicentur, dubitamus tamen, an de politico anno auctores, qui hoc tradunt, loquantur, & non potius de anno Ecclesiastico, quem fideles primitivæ Ecclesiæ communiter à Paschate ordiebantur. Quicquid verò hujus tandem rei sit, id tamen apud nos certum est, quòd lectionem in Ecclesiâ suâ Antiocheni adhibeant novi anni Festo, diversam omninò tum ab illâ, quâ Paschatis Festo utuntur ipsi, tum ab illâ, quæ in nostris Ecclesiis Festo novi anni recepta. Discimus id ex M.S. Codice Syro 4. Evangelistarum antiquissimo, qui in inclusâ Academiæ Altdorffinæ Bibliotheca adservatur. Sub illius enim ipsius Codicis finem in laterculo Lectionum Dominicalium & Festorum itidem Syro, legere licet hæc verba:

ܐܘܨܬܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ  
ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ ܕܥܘܠܐ

*Principio anni in Luca 12, scilicet Sectione.* (Aliter enim in Syro isto Codice Evangelia divisa sunt, quàm in exemplari-



plaribus nostris, ubi lectio hæc invenitur. Lucæ c. IV. v. 14—31.) quin ipsi contextui Codicis Syri l. c. hæc quoque inserta verba colore rubro (exceptis punctis diacriticis saltem litterarum ܘ & ܙ, nec non aliis solitariis, illa ipsa namque in Codice isto MS. colore nigro in scriptione rubra exprimuntur, & vice versâ) sunt, & quidē Scripturâ Syrorum antiquâ: ܘܠܟܘܢ ܘܚܘܒܘܢ ܘܠܥܠܘܢ ܘܠܥܠܘܢ ܘܠܥܠܘܢ

i. e. *matutinis principii anni & memoria Elia & Elise Prophetarum.* Ratio verò, quare hunc cum primis textum novi anni festo legere Syri soleant, hæc esse videtur, quoniam in eo v. 19. mentio fit ܘܠܥܠܘܢ

ܘܠܥܠܘܢ ܘܠܥܠܘܢ i. e. *anni accepti Domino* ex Esa. LXI. 2. *Æthiopes* verò, ut obiter hoc notemus, hanc ipsam lectionem ex Luc. IV, 14—30. ordinarunt ad Domin. 3. Epiphaniæ, quemadmodum ex Nov. Test. *Æthiopico* Romæ 1548 excusò patet, in quo commati 14. c. 2. hæc præmissa verba itidem colore rubro sunt: ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ

(subintellige ܘܠܘܪܘܢ) ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ i. e. *in tertiâ* (Dominicâ) *Epiphaniæ seu post Epiphaniæ Festum.* Atque hinc liquet, quàm accuratè scilicet Romana Ecclesia in ritibus cum Orientalibus Ecclesiis conveniat, dum nec in textibus bibli- cis, certis diebus institutis, ut in Ecclesiis publicè prælegantur, convenientia cernatur omnimoda, quin nec *Æthiopes* cum Syris, à quibus tamen fidem ad se derivatam confitentur, prout CL. *Lud. de Dieu* ex clausula in Codice *Æthiopico* Evang. Matthæi subjuncta colligit, in hisce talibus concordent. Clausula verò, de qua *Dieu* loquitur talis est: ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ (in codice Romano dictiones hæc connexæ sunt: ast minus rectè) ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ ܘܠܘܪܘܢ


i. e. *quoniam omnes nos Filii Abuna* (in *Damiano*

*miano*





miano à Goës de Æthiopum moribus traditur, quod Patri-  
 archati s nomen *Abunna* apud Æthiopes vocetur, ubi omninò  
 legendum putamus: *ipsum nomen Patriarchæ Abuna dicitur.*)  
 i. e. *Patris nostri planta fidelis montis Libani.* Atque hos ipsos  
 Æthiopes quod concernit, testatur de iis Legatus quidam  
 Æthiops in Enarratione de fide & Religione Æthiopum,  
*quòd Calendis Septembribus annum incipiant, qui dies semper*  
*incidat in vigiliam Johannis Baptistæ.* ita transtulit *Dam. à*  
*Goës de moribus Æthiopum p. 454.* apud Bohem. de riti-  
 bus Gentium. Plura adderem, sed iter quod Bono cum  
 D E O ad diem crastinum in Belgium Galliasque institue-  
 re meditor, pedem hîc figere imperat. Quare subsisto ac  
 D E O Servatori meo gratæ mentis suspendo tabulam.  
 Faxit idem, quò iter hoc feliciter ingredi atque absolvere  
 possim. Ipsi sit laus, honor & gloria in semp-  
 terna secula Amen.



### Corollarium.

Q uæritur: an vox  $\text{קרי}$  in Sacris literis deno-  
 tet Ceremonias seu leges Ceremoniales? Affir-  
 mamus, parum jam solliciti de reliquis ejus  
 significatis. Videantur loci Deut. c. 6, v. 1. & 17.  
 c. 4, 1. c. 12, 1. & c. & conferantur præcellentissimi  
 Theologi, de Ecclesia Christi optimè meriti,  
*B. Job. Gerhardus Tom. III. Dissp. Theol. de Legibus*  
*Ceremonial. §. 7. p. m. 364. & B. Martinus Chemnitius,*  
*de Lege DE I cap. 4. de Legis divisione, Tom. mihi*  
*II. p. 26. & alii.*





Irrepere in Dissertationes hæc errata typographica non pauca ex Festinatione nimia, quare veniam dabit lector benevolus, si talia invenerit. Obiter disput. hæc & præcedente observavi isthæc.

*Exercitatione Tertiâ De Fest.*

*p. 10. l. 22. post institutorum adde festorum.*

*p. 11. l. 10. ante Sabb. adde die.*

*p. B. 2. l. 10. leg. hebdomadali, quod*

*Exercitatione hac quartâ:*

*Pag. A. 3. l. 26. lege, Jer. XX.*

*Pag. B. l. 23. lege, in Peutateucho Persico.*





01 A 6640

ULB Halle 3  
003 108 309




Sb.


VD 17











45

46

מורה ולידה עניית דעתו:

מ צ ר

*Sive de*

# FESTIS ORIENTALIU

EXERCITATIO QUARTA,  
*in inclusâ Academiâ Leucorea,*  
publicè ad disputandum proposita

*à*


M. JOHANN E ERNESTO GER-  
HARDO JENENSE, Coll.

Philos. Adjuncto,

*Respondente*

THOMA KÖPKEN SPANDOV.  
Marchico.

In Auditorio Philosophorum,  
*ad diem 27. Martii.*



WITTEBERGÆ,

è Chalcographéo JOBI WILHELMI FINCELLI,  
Anno M D CL.